

Georg Dasen

**Oratio De Reverendissimi, Illustrissimi, Celsissimi Christianissimiq[ue] Principis ac Domini, Domini Hulderici, Optimi Patris Patriae, Episcopatus Sverinensis Administratoris, Ducis Megapolitani ... pie defuncti Natalibus Vita [et] Obitu: Debitae gratitudinis ergo scripta & in Academia Rostochiensi publice habita a M. Georgio Dasenio Megapolitano**

Rostock: Reusner, 1603

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730486664>

Druck Freier  Zugang





MK 1125(3)9

# ORATIO

DE REVERENDISSIMI, ILLVSTRISSIMI,  
Celsissimi Christianissimiq; Principis ac  
Domini, Domini

## HVLDERICI,


OPTIMI PATRIS PATRIAE, EPISCOPATVS  
Suerinensis Administratoris, Ducis Megapolitani, Principis Vetustae  
gentis Heneta, Comitis Suerinensis, Rostochiensium &  
Stargardiorum Domini, piè defuncti  
Natalibus Vita & Obitu:

Debitæ gratitudinis ergò scripta & in Academia  
Rostochiensi publice habita

à

M. GEORGIO DASENIO  
Megapolitano.

Ex  
Bibliotheca  
Academicae  
Rostochiensis



ROSTOCHII Prælo Reufneriano Anno 1603.

MK-1125(3)9: Sum Georgij Dasenij.







UNIVERSITÄT  
ROSTOCK







# ORATIO

DE REVERENDISSIMI, ILLVSTRISSIMI,  
Celsissimi Christianissimiq; Principis ac  
Domini, Domini


## HVLDERICI,

OPTIMI PATRIS PATRIAE, EPISCOPATVS  
*Suerinensis Administratoris, Ducis Megapolitani, Principis Vetus-  
gentis Henetæ, Comitæ Suerinensis, Rostochiensium &  
Stargardiorum Domini, piæ defuncti  
Natalibus Vita & Obitu:*

Debitæ gratitudinis ergò scripta & in Academia  
Rostochiensi publice habita

à

M. GEORGIO DASENIO  
*Megapolitano.*



ROSTOCHII Prælo Reusneriano Anno 1603.


MM-1125 (3) <sup>9</sup> Sum Georgij Daseny.



V. D. M.



H. G. V. V. G.





**REVERENDISSIMO, ILLUSTRIS-**  
*simo & Celsissimo Principi ac Domino,*

**DNO. CAROLO, EPISCOPATVS**  
Ratzeburgensis Administratori, Duci Megapolitano,  
Principi Vandalorum, Comiti Suerinensi,  
Domino Rostochij & Stargardiæ :

E T

**ILLVSTRIS SIMIS AC CELSISSIMIS**  
*Principibus ac Dominis,*

**DNO. ADOLPHO FRIDERICO,**  
**ET DNO. JOHANNI ALBERTO,** Illustrissimi  
& Celsissimi Principis ac Domini, Domini JOHANNIS,  
Ducis Megapolitani & c. beatissimæ memoriæ relictis  
filijs, avitæ & paternæ pietatis atq; He-  
roicæ virtutis æmulis :

NEC NON

**SERENISSIMÆ ET POTENTISSIMÆ**  
*Principi ac Domina, Domina*

**SOPHIÆ, REGINÆ** Daniæ & c. Illustrissimi &  
Christianissimi Principis ac Domini, Domini HVL-  
RICI, piæ defuncti, filiæ Christia-  
nissimæ :

E T

**ILLVSTRISSIMÆ PRINCIP I**  
*ac Domina, Domina*

**ANNÆ,** Ducissæ Megapolitanæ, & Pomeranicæ, & c.  
Illustrissimi defuncti Principis HVL RIC I,  
relictæ viduæ, moestissimis,  
*Domini suis Clementissimis*

Humilimè Dedicat consecrat & offert.

M. Georgius Dasenius Megap.





HUMANISSIMO ET DOCTISSIMO  
VIRO

M. GEORGIO DASENIO  
S. P. D.

**O**ccidit, heu, nostri Nestor Clarissimus ævi,  
Vandalia quo se jactant ad litora Gentes  
Balthica: Dux Megalepoleos, atq; inclytus Heros  
VLRICVS, diuûm procreatus sanguine Regum.  
Occidit, heu, currus, Pater, atq; Auriga Potentum,  
Ob quem certatim Pietasq;, Fidesq; gementes  
Pectora funereo jam gestant plena dolore.  
Hujus dum vitam, studia, & facta inclyta verbis  
Calliope exponit gravibus tua, Docte Magister,  
Magna tristitia non tantum signa videntur  
In nobis, quotquot Clariis luctamur in arvis:  
Sed cum parietibus magnum quoq; pulpita luctum  
Edunt, & nostrum deplorant singula fatum.

Henricus Boltenius  
Hervordianus.







## Oratio.



**B** T S I, Illustrissime & Clementiss. Princeps, Magnificentissime Domine Rector, & Magnifice Prorector, Reverendi, Clarissimi, Doctissimiq̃ue viri, Domini & Patroni debita subiectione & observantia summoperè colendi, Studiosissimi Juvenes, genere & doctrina ornatissimi, me pœnè rudem ac planè tyronem in dicendo esse, & hoc ipso splendore vestro, qui oculis meis apparuit, non nihil me turbari, non inficior: ita ut ingenioli mei acies hebescere paululum & linguæ promptitudo retardari videatur. Nam sicut ij, qui diu in tenebricoso carcere detenti ex eodem ad Solis jubar fulgentissimum sin subito reducantur, caligat eis acies & visus perstringitur: sic mihi evenire video, te, VLRICE, Princeps clementissime, Magnificen-

B

gnificen-



gnificentissime Rector, lucidissimum Solem;  
Vosque, reliqui præstantissimi viri, non solum  
hujus almæ Academiæ, sed etiam urbis & orbis  
Clarissima lumina, Seniores tam doctrinæ, sa-  
pientiæ, virtutumq; omnium conspicuo nitore  
ipsaq; canitie capitis decora mirificè coruscantes,  
cunctosq; vobis circumfidentes micantes scintil-  
lantesq; ignes, studiosos juvenes cum intueor.  
Imprimis verò cum de Illustrissimi & Clemen-  
tissimi Principis nostri pp. m. optimi & præstan-  
tissimi Luminis Germanici inopinato defectu,  
amissione & carentia, quæ publica clades facta &  
jactura creditur hujus nostræ oræ borealis, in hoc  
tristissimo ditionis nostræ luctu verba facturus  
sim: tamen sicut eadem illa sydera, eadem lux  
excitant mox & recreât paulatim retusos & con-  
fusus oculorum radios, innataq; suâ energiâ red-  
dunt visui vigorem suum & robur: sic ab aspectu  
clementiæ, humanitatis candorisq; vestri soliti,  
alacritatem mihi sensim pederentimq; instillari,  
ijsdemq; quibus meticolosè terrebar, vicissim a-  
nimosè me excitari sentio. Credo equidem,  
quemlibet vestrum magnopere admirationem  
subire, quid sit, quod, cum tot præstantissimi viri,  
Oratores, Doctoresq; in hac coronâ confideant,  
ego potissimum surrexerim, hasq; durissimas par-  
tes de



res de luctuoso Illustrissimi & Optimi Principis,  
Patris patriæ obitu in me susceperim, fortè magis  
audacter quàm prudenter, qui neq; ætate, neq; in-  
genio, neq; dicendi facultate auctoritateq; vobis  
qui adestis cõparari minimè possũ, multò minus  
huic loco & vestræ expectatiõni satisfacere vide-  
ar. Quod ipsũ me prævidere nõ vanè suspicor, ut  
qui mihi ipse satisfacere nunquam visus fuerim.  
Nam quantũ ad me attinet, in hoc tristis, publico  
luctu, me acerbissimo animi dolore debilitatum  
& fractum esse, ut, si quid facere attentarem, ipse  
mæror publicus omnem dicendi conatum impe-  
diret, non possum ire inficias. Verũ enim ve-  
rò quoad longissimè mens mea respicere spatium  
præteritæ ætatis meæ & pueritiæ memoriã re-  
cordari potest ultimam. Video hunc Illustris-  
simum Principem b. m. ob singularem pietatẽ in Deum  
& patriam, & omnium cæterarum virtutum ab-  
undantiam & copiam, quibus dum vixit circum-  
fluxerit, & cuivis præluxerit adjumentoq; fuerit,  
longè dignum esse, qui ab omnibus non solum a-  
mari & coli, verumetiam justis laudibus meritò  
celebrari debeat. Nam secundum Deum im-  
mortalem, patriæ, cujus principalissimum mem-  
brum est magistratus pius & bonus, & parenti-  
bus primũ natura conciliavit, iisdemq; ut  
B 2 debita



debita & postrema officia virtutis præmia persol-  
vamus allicit & invitat amor, desiderat æquitas,  
postulat justitia, jubet pietas: Plurimum enim  
ijs debemus à quibus plurima accepimus. Impri-  
mis verò decorum hoc est in Principum laudi-  
bus, ut sub hoc titulo, boni, quæ faciunt reco-  
gnoscant commendati, socordes verò & degene-  
res quæ facere debeant, cognoscant, excitati: Et  
sic semper in conspectu illustria Illustrium majo-  
rum facta & exempla bonis calcar est, malis verò  
carcer. Sin verò Illustrium virtutes alto silentio  
quasi sopitæ & consēpultæ manerent, veris suis  
præmijs privarentur injustissimè. Nam paulum  
distat inertie celata virtus, ut Horatij verbis utar,  
at dignum laude virum Musa vetat mori. Ad  
hoc etiam requiri privatorum necesse est pieta-  
tem, benevolentiam, obsequium & amorem, si-  
ne quibus stare & perennare nulla potest publica  
societas. Quod vetustissimi quoq; sapientes fi-  
ctis fabulis apertè significare nō erubuerunt, cum  
*weis. ex. e. e. e.* Deam, h. e. subditorum erga magistra-  
rum obedientiam, Iovis uxorem fuisse tradide-  
runt, & ex eo connubio *εὐτυχίαν* felicitatem pro-  
creari adumbrarunt. Hæc & similia diu mecum  
perpendens, & sæpius animo volutans, non po-  
tui majus pro ingenioli mei modulo beneficium  
mihi



mihī in memoriā revocare, quā quod ob in-  
numerabilia optimi hujus & præstantissimi Du-  
cis verè Patris patriæ, beneficia in Patriam publi-  
ca & in me privata; in publico luctu, publicè po-  
stremum parentationis officium hoc testimonio  
pietatis & amoris erga piè defunctum privatus  
ego cum lachrymis declararem. Non quidem  
arrogantia ingenij aut facultate dicendi fretus  
(mecum enim habitans novi, quā sit mihi cur-  
ta supellex) sed vestro candore & æquanimitate,  
Quapropter Illustrissime Princeps, Magnificen-  
tissime Rector, V. Celsitudinem, vosq; cæteros  
viros Clariss. Doctissimosq; : Patronos, fauto-  
res, vosq; selectissimos studiosos juvenes, majo-  
rem in modum rogatos velim, quo animo quaq;  
submissione animi quemq; vestrum compellare  
ac orare par est ac decet, ut de Illustrissimorum  
Principum Megapolensium familiarum origine,  
serie, propagatione, ac de optimi nostri quondam  
Principis VLRICI verè Parentis patriæ nostræ  
dulcissimæ, vita, gubernatione salutari, ac tristis-  
simo obitu me titubantem & balbutientem ve-  
riùs quā orantem pro vestra clementia, facilita-  
te benignè audiatis.

Esse autem familiam nostrorum Illustrissimo-  
rum Principum Megapolensium vetustissimam

B 3

simul



simul & generosissimam, tam boreales historiae  
quæ extant, quàm constans fama (quæ divinius  
aliquid in se habere proverbio dicitur) & origi-  
nem antiquitatemq; generis à temporibus Ale-  
xandri Magni, qui vixit circa annum mundi  
3640. & anno ante Christum natum 322.  
mortuus scribitur, ab annis abhinc fermè bis mil-  
le, ab ANTIPIO nobilissimo & fortissimo exer-  
cituum Duce deducunt. Quæ opinio ut firma  
& certa ad confirmandum & probandum argu-  
menta non habet: ita veris rationibus quibus ad  
refellendum & contrarium demonstrandum uti  
posset, destituitur: præsertim in tanta non solum  
Balthicarum, verum etiam in totum, Germanica-  
rum rerum obscuritate & eorum temporum con-  
fusione & perturbatione, quæ in tot & tantis  
continuorum bellorum tumultibus, aliquantò  
negligentius quàm par erat, asservatæ: & omni-  
nò serius, quàm optaremus litterarum monu-  
mentis consignatæ dicuntur: ut eò occulta ea-  
rum origo & progressus non admodum inclarue-  
rit posteris, fortassis ob eam causam, quod loca &  
populi Cisalpini magna ex parte propter assiduas  
in terris vastis & rigidis de loco in locum migra-  
tiones barbari, & asperitate multiplicium turba-  
rum feroces, artium belli quàm pacis cognitioni  
majo-



majorem operam navare coacti fuerint: atq; sic,  
donec tandem mollioribus artibus deliniti sint,  
seriùs ad humanitatem exculsi fuisse videantur.  
Etsi autem non sum nescius ex incertis & dubijs  
principijs certa & indubitata facere non decere:  
tamē hanc ipsam antiquitatis famamperpetuam,  
non planè de nihilo esse existimem, quæ testis ve-  
rax & certa omnium rerum cunctis temporibus  
extitit, & ea quæ noverit tanquam fidelis custos  
asservavit, posterisq; suis per manuum traditio-  
nem & successionem continuam & interruptam  
suo testimonio commendavit & consecravit.  
Non enim magna fama absq; magnis & præcla-  
ris facinoribus existere potest. Ab ANTIRIO  
deinde multis annis post usq; ad CAROLI Ma-  
gni, primi ex Germanorum prosapia orti & Ro-  
manorum Imperatoris tempora, magis veritate  
& celebritate famæ fidelis, quàm historica fide  
certam seriem & stirpem numerari intelligimus.  
Habuisse enim CAROLVM Imperatorem præ-  
stantissimum & egregium militiæ Ducem BI-  
LVNGVM sub ejus vexillis fortiter præliantem,  
& ex ANTIRII familia oriundum, constat: ex  
quo tanquam vegetiori & fertiliori stipite, quasi  
nova horum Ducum propagatio & restauratio  
germinare & ad posteros profeminari & trans-  
mitti



mitti cæpit Anno Christi 810. Hic BILVNGVS  
viceſimus ſextus Obetritarum Rex, & CAROLI  
Magni ſororẽ, uxorem duxiſſe, arcemq; & urbem  
olim munitiſſimam Megapolin (cujus adhuc  
veſtigia & reliquiæ, Villa der *Necheburgiſche  
Hoff*/conſpicitur, à qua & ab eo hæcuſq; tem-  
pora Megapolitani hodie appellamur) circa  
Wiſmariam condidiſſe, & primus religionem  
Chriſtianam amplexus traditur. Secuti ſunt dein-  
ceps hunc BILVNGVM certa & fixa generis ſe-  
rie, plures eximij & fortiſſimi Reges, quæ & fo-  
ris & domi ſapientia virtuteq; plurimùm value-  
runt, quorum ſingulorum genealogias, vitas fa-  
ctaq; præclara ſi recitare & enumerare vellem,  
dies me deficeret, & hic locus rædio obtundere-  
tur magis quàm ad audiendum ſtudio excitare-  
tur. Vt autem reliquos ſucceſſores, cùm certitu-  
dini tum brevitati conſulens, omittam: & audi-  
torem lectoremq; ad totius hujus familiæ hiſto-  
rias, quæ haberi poſſunt, dimittam, paucorum  
ſaltem, quorum nomina famâ notiſſima ſunt &  
monumenta adhuc extant tam vetuſta quàm ve-  
nuſta, mentionem brevibus facere volui, & in ſe-  
quentibus facturus ſum.

Regium autem tam nomen quàm imperium  
hanc familiam uſq; ad PRIBISLAVM ultimum  
Obetri-



Oberitarum, Vandalorum, Herulorum & Hene-  
torū, qui nunc uno nomine Megapolitani dicun-  
tur, retinuisse, ab eoq; certa successione nostros  
Duces Megapolenses ortos & ad hunc usq; diem  
propagatos esse, multa, quæ illud testatur fidei te-  
stimonium certa & argumenta habemus illustria.  
Cum autem non solum aliquot vicinorum popu-  
lorum regiones & sedes, verumetiam ipsius Da-  
niæ regni imperium, circa illa tempora occupa-  
rint & tenuerint, & magnæ interdum disputatio-  
nes ac controversiæ inter fratres ac posteros Re-  
ges, ut solet, hæredes mutæ, de regnorum & im-  
periorum divisione ac separatione, extiterint: &  
illi, quibus Danici Regni portio amplior obrige-  
rit, hisce cis Balthicum littus habitantibus, multi-  
tudine & ferociâ populorum absq; dubio præva-  
luerint, Regium titulum illis vi & robore majore  
instructis celsisse, & hos usurpare desijisse, non  
pubium est. Fecit id vel imprimis, quod hæ ter-  
ræ mari Balthico intercisæ, facilem cursum hinc  
ob non ita frequentem & minus, ut nunc, usita-  
tam navigandi consuetudinem in istas insulas  
prohibuerint. Mihi verò de his parum stat ju-  
dicium, qui audiverim, non legerim: conjicio,  
non doceo. Postremus verò, qui regium no-  
men habuit P R I B I S L A V S, hujus urbis Rostochij

C

chij



chij & Cœnobij Doberanensis conditor, qui ab  
HENRICO Leone Bavariz Duce, anno Christi  
1160, ad Christianam religionem constanter am-  
plectendam commotus scribitur. Hujus PRI-  
BISLAI patris NICOLOTI Regis Obetritarum  
Epitaphium, sicut & alia multa antiquitatis veri-  
tatisq; monimenta & <sup>αξιοθεωτα</sup> in Templo vicini  
Doberanensis Monasterij egregiz cuidam colu-  
mnæ in tabula suspensum etiamnum hodiè con-  
spicitur. Hic PRIBISLAVS ultimus Rex Obe-  
tritarum (ita Megapolenses tunc indigebantur)  
filium HENRICVM Burevinum, qui pri-  
mus Principis Megapolensium titulum gerere &  
Cœnobium novum dictum, fundare cæpit, post  
se reliquit. Ab eo, ad hunc usq; diem, Illustri-  
simi Principes & Domini nostri Clementissimi  
superstites familiam & titulum, Dei beneficio  
hactenus ducunt & retinent, ut verissimæ histo-  
riz & Genealogiz, quæ habentur, ad quas etiam  
auditorem & lectorem dimitto, firmiter docent.

Venio nunc ad Illustriissimum & piè defun-  
ctum p. m. VERICVM, Principem quondam  
nostrum Clementissimum. Et quamvis vanum  
& ineptum quibusdam fortè visum fuerit, lau-  
dem ex majorum virtute prædicari:

Qui



*Qui genus & proavos, & qua non fecimus ipsi  
Vix ea nostra putant.*

Et cum Apulejo argumentantur : Si laudas aliquem quia generosus est, parentes laudas, si eum laudas, qui bonis moribus & artibus est doctus & valdè eruditus in togata vel armata scientia, quantum homini licet, tunc ipsum virum laudas & non aliena : tamen multò certius argumentum esse omnino statuendum est, vel imprimis in familijs Heroicis, quas Deus reliquo humani generis cætui præesse voluit, generosiores & feliciores motus animorum ipsamq; naturæ vim præstantiorem excellentioremq; propagari, adeoque ipsas virtutes esse expeditiores & durabiliores. Fortes namq; creantur fortibus & bonis, ipsius enim naturæ bonitas nescio quàm singulare quid & divinum alta mente repositum habeat. Et quamvis rectè dicitur, Res est magis ardua statuatam in foro Romano ponere quàm habere, tamen certius est tenere quàm capeffere : & illud fortunæ, hoc naturæ bonum credendum est : illud instabile & fugax, hoc durable & tenax. Fortuna siquidem sævo læta negotio ludum insolentem ludere pertinax mutat incertos honores, nunc huic nunc alij benigna. Natura autem quæ non fallit, quos Magnos & Illustres generis



splendore, insigni Dei dono coruscantes fecit, altasq; radices in profapia egit, sedemq; fixit, robore & constantia alijs benignitatis muneribus multò antecellit, cum hæc suoapte impetu & sponte agit, suumq; regimen non laboriosum aut anxium tenet, sed sine labore & dolore omniq; ferè, si dicere fas est, corporis nisu perficit. Et hæc est aurea illa cathena, quam fabulatus est Homerus, quæ à Dijs cœlitus demissa est, ad quam firmiter alligata Heroum omnia naturæ interna dona creduntur. Fortunæ subserviunt & ministrant omnes subitæ benignitates, nec vim illius quisquã effugere valet etiam cum cavisse ratus est maxime. Sæpè illud cogitandum, Quod citò fit, citò perit. Et quod subitò caput inclarescere, subitò soler evanescere. Multis enim simulationum involucris tegitur & quasi velis quibusdam obtegitur novi Stemmatis claritas, Et quantò citius in alto principatus fastigio sedem obrinuit, tantò velocius ingentem de excelso ruinam in præceps timuit. At illa demum vera est Generositas, vera Nobilitas, firma stemmatis Claritas, quæ simul & principium bonum & successum felicem firmumq; adepta est. Hoc namq; opus, hæc vis est principij, ut plurima sibi reddat similia. Proinde meritò sunt boni & illustres qui à Priscis aut anti-

quis



quis Heroib. descenderunt, judicandi; si veritatem inquiras: Omnium n. principium longâ retrò origine deducitur, ut Arist. docet. Hi famâ excedere factis, & virtutis opus possunt præstare suavi. Meritò igitur admiramur & grata mente agnoscimus, publicâq; voce Genealogias familiarum antiquarum decantamus, & singulare Dei donum esse agnoscimus stirpes, ex quibus illustres Reges ac Principes orti sunt.

Ex hujusmodi vetusta & laudabili Heroum familia, originem duxit **H V L D E R I C V S** piè defunctus, Princeps & Dominus noster olim clementissimus, qui non solum totius Senatus Imperij Germanici Nestor, sed etiam dulcissimæ nostræ Patriæ Pater erat dilectissimus. Natus autem est Sverini, loco nobilissimo simul ac amantissimo hujus ditionis, quiq; sedes & habitatio Principum Megapolensium fixa semper fuerit, anno 1527. 12. Aprilis, Illustrissimo Principe patre **A L B E R T O**, quo nullus in toto imperio Germanico Princeps Heroicâ corporis proceri & robusti majestate augustior & pulchrior fuisse perhibetur: cui etiam **P H I L I P P V S** Melanthon vir nostri seculi clarus, sæpiùs in multorum Clarissimorum hominû confessu ac corona hoc Encomion pulchritudinis tribuisse, subindeq; alibi



iterasse dicitur, se nunquam per totam vitam suam, qui facie aut vultus formositate corporisq; statura gravi & decenti, ALBERTVM ducem Megapolensem superaret, vidisse neminem. Matrem autem habuit Generosissimam, juxtà ac honestiss. & omni matronalium virtutum decore conspicuam Matronam ANNAM, ex illustri Electorum Brandeburgensium familia prognatam. Eodem anno PHILIPPVS CAROLIV. Imperatoris filius, 21. Maij die, & MAXIMILIANVS II. Imperator Rom. 2. August. cum ante semestre pater FERDINANDVS Bohemiz Rex, die Matthiæ coronatus fuisset, in lucem editi sunt: ut sic hic annus totius Germaniæ adeoq; totius Europæ imperio prosper & salutaris fuisse videatur.. Ac etsi turbida tempestates in rebus sacris extitisse constat, tamen non leve singularis providentiæ divinæ testimonium est, inter tot procellosos, quibus Ecclesia instar navis in undoso mari agitabatur, turbines, hujus optimi Principis mentem inconcussam & inviolatam nobisq; hoc organon salutare ad Ecclesiæ ædificationem, columnam infractam permansisse. Quid hoc aliud, nisi quòd à Deo tacita voce & testimonio datum hunc Principem & demissum exlitus esse ad imperium terrarum & conservationem Ecclesiarum. Cum



Cum autem Pater ALBERTVS sciret nemini magis quàm Principibus doctrina & literarum cognitione opus esse, prudentissimè curavit, ut eisdem imperus, quos naturà filius ad virtutem haberet, institutione & doctrina diligenti confirmaret & perficeret. Hæc enim nemini contingit nisi animo benè instituto & exculpto: non quia literæ virtutem dare possint, sed quia animum ad accipiendam illam præparent. Ut autem primùm ex infantia excesserat VLICVS Princeps, nactus est Præceptores doctos & honestos, qui discipulum Principem à pueris laudabilibus moribus, literarum cognitione, pietate, modestia, sapientia, justitia & cæteris virtutibus sedulò instruxerunt, suisq; exemplis ei præluxerunt. Cum autem Princeps VLICVS hisce artibus, quibus puerilis ætas ad humanitatem informari solet, satis instructus videretur, atq; illud tempus, illa ætas alios mores aliamq; vitam postularent: contulit se ad superiores & graviores litteras & artes, celeriterq; talem & tantum profectum tam in artis quàm in Martis disciplina consecutus est, ut omnibus suis coætaneis Principibus Nobilibusq; ingenij gloria & alijs rebus; quib. juvenus nobilis excoli solet, facilè antecellere contigerit. Erat tunc temporis Germania plena doctif-



na doctissimorum hominum, & studia litterarum in hac dicecesi, propter tranquillitatem Reip. vehementius colebantur. Equestres autem ludi & militaris disciplina propter belli imminentis metum, ut tunc status rerum erat, domi interim non negligebantur. Itaq; in hisce sibi comparandis laboravit plurimum. Paulò verò post cum sciret humiles & plebeias animas esse, domi quæ resideant & affixæ sint semper suæ terræ: illas verò diviniore esse, quæ cælum imitarentur & gauderent motu; mirificus ardor subjicit optimum Iuvenem Principem, Italiam & reliquas finitimas exterarum gentium terras visere. Ideoq; peregrinationem magis utilitatis quàm voluptatis causa suscepit, ac hunc verum finem ac fructum sibi præfixit, ut plura ad mentem ac salutem referret quàm ad sensus & aspectum. Nec ullam aliam ob causam, Homerus Poëta vetustissimus ac sapientissimus cautæ illi Vlyssææ prudentiæ tribuit, quã quod fuerit *πολύτροπος*, quodq; ut ipse ait, *πόλλων ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα καὶ νόον ἔγνω*. Hoc ipsum considerans secumq; perpendens VL R I C V S Princeps, varia illa instituta & mores gentium, formasq; civitatum incredibilem quandam vim & efficaciam ad iudicium acuendum, & prudentiam augendam, in se habere animadvertit, pluraq; alia

αξιο



210 *Ita* quæ ad boni Principis informationem gubernationemq; rectè administrandam pertinent, inspicere & addiscere summo studio voluit. Non autem vidit solummodo ea levitervè libavit, sed admisit, retinuit & recti judicij ratione apud animum deposuit, inter se contulit & examinavit. Non speciosa dictu, sed usu necessaria didicit, ut non tantum ad parandam, sed etiam fruendam sapientiam se accōmodaret. Nullus enim est quem oporteat vel plura vel meliora scire, quam Principem, cujus doctrina omnibus debet prodesse subditis, ut Vegetius loquitur. Cum verò in Italia & finitimis locis, satis diu commoratus & versatus fuerat: & pietate, doctrina, justitia, morumq; elegantia & gubernationis scientia, præstantibus Principibus & egregijs viris, quorum amicitiam benevolentiamq; sua modestia vitæq; sanctimonia & integritate sibi cōciliasset, notus & familiaris factus erat: cum suis comitibus ad nobiliss. quoq; Germaniæ loca uberioris ingenij cultus causâ sibi revertendum esse statuit. Itaq; postquâ lōginquam illâ & periculosam in Italiam & circūjacētes regiones peregrinationē magno ingenij culturæ fructu, & animi ac corporis dexteritate jucunditateq; feliciter absolvisset, bonâq; totius Germaniæ partem perlustrasset, bono & salutari

D

lutari



lutari consilio in optimi & prudentissimi Bava-  
riæ Principis LUDOVICI Electoris, consanguini  
sui charissimi, aula sibi aliquantisper subsisten-  
dum duxit: apud quem ejusq; familiam regiam  
(in qua pleriq; omnium litterarum & morum ele-  
gantia mirificè erant exculti) cum jam diu com-  
moraretur, eundem sibi non tam inspectorem  
quam Ideam & exemplum vitæ suæ sibi proposi-  
tum esse cupivit: Ut, si aliquando ipse ad Remp.  
regendam accessurus esset, ad præscriptum illius  
ac normam, omnia gubernationis consilia & a-  
ctiones dirigeret. Quod quidem in omnibus tam  
privatis quàm publicis vitæ & morum gestibus  
& actionibus eum consecutum esse accepimus.  
Ita enim amabilis, φιλόκαλος, venustus atq; gratio-  
sus fuit, ut in hoc genere paucissimos ei conferri,  
anteponi verò potuisse neminè fatendum sit. In-  
terea temporis, per longum illud & diuturnum  
iter, quoad exterarum & longinquas nationes su-  
scipisset, multorum præstantissimorum Princi-  
pum aulas devinctas consuetudine tenebat, &  
summo honore afficiebatur, ut non eum solum  
colerent, qui aliquid intelligere aut judicare de  
hominis sapientia & prudentia studebant & po-  
terant, verum etiam, si qui fortè simulabant.

Sin v. non plura ac majora de hujus nunquam  
fatis



fatis laudati Principis pueritia, adolescentia, ju-  
ventute & apud exteros peregrinatione, dicere  
potero, sat hoc dictum esto, nihil dico amplius.  
Post hæc cum foris & domi VLRICVS Princeps  
belli & pacis studijs gnaviter incumberet, & Me-  
gapolitanam hanc ditionem duo Principes HEN-  
RICVS cognomento Pacificus, & hujus fratris  
ALBERTI filius, IOHANNES ALBERTVS, ita  
regebant, ut in Equestrem ordinem & omnes ur-  
bes majores jurisdictionem uterq; tenerent com-  
munem, arces verò & præfecturas singuli possi-  
derent proprias: Ecce ipso anno Iubilæo post  
Christum natum tricesimo primo, anno verò  
Christi 50. patruelis illius MAGNVS Princeps,  
HENRICI filius, Episcopus Sverinensis, Spar-  
tam suam quam nactus erat, ornans, 40. ætatis an-  
num cum jam excefferat, præter omnem expe-  
ctationem acerbo cum parentis Senis HENRICI  
& Nobilissimæ Conjugis ELISABETHÆ Cim-  
bricæ, omniumq; subditorum dolore & luctu, an-  
te Patris ex hac vita discessum, nulla post se prole  
relictâ, ex hac in cœlestem patriam ipso die 28.  
Ianuarij evocatur. Erat hoc tempore IOHAN-  
NES ALBERTVS (qui quatuor fratribus VLRI-  
CO, GEORGIO, CHRISTOPHORO & CA-  
ROLO, patrijs laribus relictis, ad Borussia Ducem



ALBERTVM Marchionem, qui secundas cum ANNA MARIA, ERICI Senioris Ducis Brunsvicensis filia, nuptias celebrabat, profectus: cui etiam in ipsa Nuptiarum festivitate, unica Ducis Borussiae filia ANNA SOPHIA, ex priore marita, desponsata est. Vacabat tunc Episcopatus Sverinensis, & indigebat supremo inspectore & capite: Et quamquam multæ ac variæ dissentientium Collegiarum de novo adsciscendo & eligendo Episcopo opiniones sententiæq; erant, tamen, cum Ducatus Megapolitani membrum esset, Ducis HENRICI Senioris commendatione, cui propter eximiam naturæ bonitatem, justitiamq; cæterasq; animi dotes, charus erat VLRICVS, obtinuit apud Collegium, penes quod electio erat, ut Episcopus Sverinensis anno 1556. electus & simul supremus hujus Academiae Rostochiensis Cæcellarius constitutus renūciaretur. Non multo deinde interjecto tempore, divino sic ordinante ac dispensante Numine, in uxorem duxit VLRICVS Princeps, Illustrissimam Heroïnâ ac Dominam ELISABETHAM, ex Cimbrica Chersonesi Regum præstantissima familia oriundam, Principis MAGNI, cujus pauló ante mentio facta est, relictam viduam, quæ Nuptiæ, Hafniæ in Dania maxima cum solemnitate celebratæ



bratæ sunt. Ex hac **ELISABETHA** unicam filiam  
Serenissimam & Illustrissimam, omniūq; matro-  
nalianum virtutum splendore decoram, **SOPHIAM**,  
quæ **FRIDELICO II.** Daniæ Regi olim poten-  
tissimo nupta fuit, suscepit. Quæ adhuc super-  
stes Serenissimum Regem maritum suum & **VL-**  
**RICVM** Patrem & **ANNAM** amitam Curlandiæ,  
Principem viduam non ita pridem extinctam,  
**IOHANNEM**q; filium Muscovitarum Principem  
recens mortuum, turturis instar mæsta deflet.  
**ELISABETHA** verò in Daniam, filiam Regi-  
nam & generum Regem visendi causa, unâ cum  
Marito **VLRICO** Principe cum adijisset, ibidem  
piè decessit, cujus exuviæ in hanc nostram ter-  
ram translatae Gustrovij anno 1586. terræ manda-  
tæ sunt, postquâ totos 33. ferè annos suaviter ac  
concorditer cū marito Principe in conjugio con-  
summasset. Anno verò 1587. secūdas nuptias cum  
Illustrissima & Generosissima Principe **ANNA**, ex  
nobilissima, vetustissima & optima Pomeraniæ  
Principum familia, Wolgasti senex celebravit,  
cum qua in matrimonio, pleno pietatis, casti &  
conjugalis amoris, concordia ac suavitatis 16. fe-  
rè annos eum vixisse scimus omnes.

Cæterum cum duo illa summa viri Principis  
ad regendam & tuendam Rempub. organa ac



præsidia sint Leges & Arma: In utrisq; fideliter  
præparatam & instructam mentem & manum  
VLRICVS tenuit; attamen pacis quàm belli stu-  
diosior semper fuit. Et quia Regum & Principum  
Nobiliumq; plerorumq; filios equitare solummo-  
dò egregiè, & ferè nihil aliud benè & præclarè  
discere constat, tamen ex eorum numero, qui  
nihil equestre, nisi idem sit *ἀμύσσοι* esse putant, se  
omnino noster præstantissimus Princeps exe-  
mit, & pietate, sapientia, iustitia aliarumq; o-  
mnium virtutum scientiâ animum expolire & ad  
gubernationem præparare sine iutermiissione stu-  
duit. Non autem ut Apelles olim qui Veneris  
caput & summa pectoris politissima arte perfecit,  
reliquam corporis partem inchoatam reliquit:  
sed ut Phrygio è varij coloris filo unum aliquod  
aulæum formavit; sic ille ex multiplici omnis ge-  
neris scientia animum; corpus virium ac coloris,  
instar alyptæ, robore firmavit, ut esset uniforme  
hoc cohærens & solidum corpus omnibus natu-  
ræ dotibus ornatum & validum. Tantum enim  
amorem erga studia humaniora eorumq; sectato-  
res semper habuit, ut non tantum reliquis Ger-  
maniæ Principibus jure conferri, verumetiam  
omnibus modis cum ijsdem certare potuisse vi-  
deretur. Et hoc quidem non solum ingenij ac lit-  
terarum,



rerarum, sed etiam naturæ singularis virtutisq;  
fuit, ut vera Religio, quæ hujus adolescentiæ pri-  
ma fuerit, eadem quoq; manserit charissima sene-  
ctuti. Quod vel in primis luculenter testatur  
Compendium ejus Theologicum, paucis annis  
ante mortem nervosa brevitate & artificiosa  
quæstionum facilitate conscriptum: In quo cer-  
ta methodo summam doctrinæ Christianæ, testi-  
monium vitæ puritatis & sanctimonix ferè po-  
stremum, instar Cigneæ cantionis post se reliquit  
se scimus omnes. Bibliothecam habebat instru-  
ctissimam, ad quam ornandam, augendam ac lo-  
cupletandam omnis generis optimos & præstan-  
tissimos authores sibi comparabat, & in iisdem  
evolvendis, legendis & perlustrandis, quoties per  
valetudinem & gubernationis occupationes li-  
cebat, versabatur sedulo, ac quicquid ad animæ  
suæ salutem & imperij curam pertineret, inde  
hauriebat avidissimè. Ea verò quæ ingenium  
illius & captum fugiebant ex doctis & eruditis  
viris, quibus stipatus semper erat, nunquam de-  
stitit inquirere. In audiendis concionibus publi-  
cis erat omninò frequens. Sin autem interdum  
sententia aliqua gravior & difficilior ei excide-  
rat, aut mentem ejus superaret, eò sese dimisit sæ-  
piùs, ut eandem ex præcone verbi divini post  
concio-



concionem quærere, & de ea cum eodem in  
mensa etiam, conferre non erubuerit. Tali &  
tanto amore ac zelo verè Heroico studium veræ  
pietatis amplectebatur & colebat. Et quoniam  
pietate & religione vita ipsa constat, & optimus  
animus, pulcherrimus Dei cultus est, itaq; pieta-  
tem tam legibus iustam quàm Deo gratam & ac-  
ceptam semper coluit, nihilq; sibi prius & poste-  
rius habuit, quàm quod Dei cultum optimum  
ejusdemq; castissimum ac sanctissimū esse credi-  
derit, si ipsum purâ, integra & incorrupta mēte ac  
voce veneraretur. Quod Deus per vatem Esai.  
49. cap. cuilibet magistratui significaverit, id sibi  
quoq; maximoperè demandatum esse voluit:  
Erunt Reges nutritij tui (Ecclesiam affatur) & re-  
ginæ nutrices tuæ. Et iterum: Ædificabunt filij  
peregrinorum muros tuos, & Principes eorum  
ministrabunt tibi. Hasce gravissimas sententias  
sæpiùs secum reputans & repetens, hanc guber-  
nandi potestatem non sibi tantum ad mundi re-  
gimen, sed maximè ad Ecclesiarum & Scholarum  
præsidium esse collatam intellexit rectissimè. Ut  
enim militiæ Sacramentum primum est, tueri sa-  
lutem, commoda, dignitatemq; ejus, cui milita-  
mus: ita & Principis proprium est curare & tue-  
ri sacra nostræ militiæ Sacramenta. ejus summi  
Impera-



Imperatoris, sub cuius vexillis rectè militamus omnes, si retineamus fidem & bonam conscientiam. Hinc judica, quid fuerit, quod veterum pleriq; Principes utrumq; munus conjunctum habuerint olim, Sacerdotium inquam & Regnum, unde & Pastores apud prophanos & sacros scriptores vocari solent sæpissimè. Ut autem Clementissimus noster Princeps, veram & puram doctrinam Christianā ipse semper amavit ac coluit: ita quoq; subditos suos eandem sinceram retinere ac conservare in violatam curavit accuratissimè. Omnes superstitiones vanas ac Idola execratus est ac fugit diligentissimè. Quis enim unquam regnum aut imperium aliquod vidit stabile ac firmum, ubi in dissidijs aut odijs Religionis causa versantur ij qui reguntur? Quid verò magis alligat animos, secundum Apostoli sententiam, quàm unus Dominus, una fides, unā Baptisma? hic amor, hic charitas: & hi tales solliciti servare unitatem Spiritus in vinculo Pacis. Deus namq; pronior est in eos qui eum maximè colunt. Hoc rectè intelligens noster Princeps cum Cyro, ut est apud Xenophontem, ratiocinatus est, omnes subditos, si Dei metuentes essent, minus eos aut inter se aliquid illicitum perpetraturos, aut etiam in ipsum Deum. Quod ipsum

E

demon-



demonstravit illius in hanc suam urbem ante triennium honorificus & splendidus ingressus, cum ex verè paterno amore erga litteras Visitationem Academiae nostrae florentissimae institueret, Professorum diligentiam, fidem & in docendo assiduitatem exploraret, gravissimaque admonitione accenderet & acueret, eorumque stipendia sumptusque studiis necessarios in mensa communi & alijs augebat munificentissimè. Intelligebat enim sapientissimus Princeps, quantum bonum esset in Ducatu suo Schola Regia benè constituta, ex qua tanquam ex equo Trojano omnium disciplinarum Doctores, & Reip. Consiliarij, ductores gubernatoresque prodirent, idcirco omni studio hanc Scholam Regiam augere & ornare in animum induxit suum. Ob quam rem hujus pie defuncti Principis verae Christianae charitati, suam non parva ex parte incolumitatem Academia sese debere non immeritò fateri cogitur.

Non minorem curam erga suos omnes etiam in cæteris rebus, quae communem totius Patriae salutem concernerent, adhibuit. Meritò igitur Patrem Patriae non vana adulatione, sed veris affectibus adducti eum appellare nos decet ac par est, quippe qui sciret sibi potestatem Patriam, quae est temperatissima, datam esse, omnibus ita consuluit



suluit ut liberis, sua illis semper postponens; Pater fuit, non herus, statuit se subditis esse datum, & non eos sibi. Et quanquam non exiguam laudem esse sciebat, generosos & splendidos natales habere, tamen hanc famam extendere factis, hoc opus, hunc laborem esse non ignorabat. Ideoq; indefinenter in id incubuit, ut prudentiam, iustitiam, clementiam, gravitatem, cæterasq; virtutes omnes amaret & amplexaretur sedulo. Visu & auditu juxtà venerabilis fuit, cum magnitudinem & gravitatem magnæ fortunæ retineret, ut non inconvenienter illud huic Principi accommodari posse mihi videatur, quod præclare apud Salustium de Q. Fabio Maximo & P. Scipione Africano scribitur, eos cum Majorum imagines intuerentur sensisse sibi animos vehementissime ad virtutem accendi, non quod Cera ille a ut figura oris aut statuæ tantam in se vim haberet: sed quod ex memoria rerum gestarum ea flamma egregijs viris in pectore cresceret, neq; prius sedaretur, quàm virtus Majorum famam ac gloriam adæquasset: Ita mirum in modum, quosvis bonos, quibus contigit & quoties contigit hunc decorum & egregium Hæctora Germanicum oculis intueri, invaluit jucunda, dulcis & blanda quædam admiratio & favorabilis timor, ut jam ipsi

E 2

quoq;



quoq; eundem Heroa venerari, & paulatim pro loco & conditione sua, tacita quadam cogitatione contentioneq; sibi animum ac mentem ad corporis illius decus, imaginem excellentem non solum fingere & conformare optarent, verum etiam factis & virtute æmulari & certare quodammodo studerent. Vnde cum comitia ab Inuitissimo nostro Imperatore RVDOLPHO II. qui nunc rerum potitur, anno 82, Augustæ Vindelicorum haberentur, in toto isto conventu sic ejus adventus celebrabatur, ut famam ingenij expectatio Principis expectationemq; ipsius adventus admiratioq; superaret. Hac tanta celebritate famæ cum jam absens esset notissimus, Augustam venit cum magno & splendido multorum Nobilissimorum & præstantiorum omnium ordinum comitatu, ubi hanc laudem propter augustam staturæ corporis formam, quâ patrem ALBERTVM maximè adæquare videbatur, apud omnes ferè consecutum esse accepimus, quod memorabilis hæc vox sæpiùs audita fuerit; Megapolitanus ille dignus esset, qui Cæsar crearetur. Non enim alia ei facies erat, quàm cæli sereni & nitentis. Probitas singularis & Heroicarum virtutum omnium splendor ex vultu ipsius emicabat. Ita Senex non canis modò & annis, sed antiqua



tiqua etiam virtute & fide gravis erat. Altitudo  
confiliorum & actionum admirabilis, tranquillitasq;  
animi & vultus in omni eventu & fortuna  
conspiciebatur eadem.

Iustitiam ante reliquas virtutes omnes serio  
amavit & exercuit, ut ne latum digitum à vero  
aberrasse, aut in alteram trutinæ lancem magis  
inclinasse dici possit. Docendo magis quàm ju-  
bendo, monendo quàm minando errata sic com-  
pescuit, ut essent, quos errasse pœniteret & pecca-  
turos puderet: nimirum, ut pœna ad paucos, ter-  
ror & metus ad plures perveniret. Multò enim  
firmiorem esse fidem subditorum credidit, quam  
reponeret amor & pœnitentia, quàm odium &  
malevolentia. In consilijs capiendis adeò dex-  
ter fuit ac felix, ut nunquam ferè vel parùm à sco-  
po & meta aberrasse conspiceretur. Ea a. quibus  
impar fuit Deo comisit & prudentis. Consilia-  
rijs. Quis n. tantæ sapientiæ prudentiæq; Princi-  
pem unquã fuisse novit, qui sua sapientia cuncta  
potuerit complecti. Is verò demùm sapit, qui  
sapientum utitur commercio, & adsumit in par-  
tem curarum alios, Magna namq; negotia ma-  
gnis egent adjutoribus. Nec unius mens tantæ  
molis potest esse capax, Nec datur in rebus, præ-  
cellat ut omnibus unus. Qui autem de sua unius  
sententia omnia gerere conatur, superbum &



Tyrannum judicabis magis, quàm prudentem & in commune consulentem. Non verò passus est circum se esse in aula aut mensa, qui in deliberationibus vultu magis splendidi, quàm mente candidi, assentarentur quàm assentirentur veriùs. Novit enim qui vultus, serenitate aut nuru essent parati, eos rectis consilijs nunquam esse cordatos. Fastum, superbiam & hisce infectos non tantum odio persequabatur, sed etiam inter suos & in suis non patiebatur.

Pacis amator & cultor sedulus erat, etiam ad eò, ut si vicinos Reges vel Principes similtates quasdam, quæ occasiones ad majores & perniciosas controversias ac bella præbere viderentur, fovere ac alere intelligeret, ipse solus vel per litteras vel legationes aliorumq; Principum intercessionem ac amicas transactiones illam flammam futuri incendij extingueret & supprimeret. Voluit semper ut quò minus manuum suarum tela pervenirent, eòdem gloriam famamq; suam cæterarum virtutum penetrare. Quam rationem quoq; in propria sua terra inter suos tenuit. Intelligebat namq; hanc pacem, esse arcem inaccessam, hoc munimentum inexpugnabile, munimento non indigere. Cogitabat suorum non servitutem sibi traditam, sed tutelam, nec Principatum suum



suum esse, sed se esse Principatus. Meminit sapius se civem patremq; gerere, se consulere cunctis, non sibi; nec propria eum moverunt, sed publica vota. Omnium somnos illius vigilantia: omnium oria, illius negotia: omnium delicias, illius industria: omnium vacationem illius occupatio defendit. Quod & subditorum bono factum est & illius, sic enim gubernatio tandem stabilis & fundata erit ejus, quem omnes subditi tam supra se, quàm pro se esse sciunt.

Fortitudine seu Magnanimitate mirificè excelluit & constanti excelsoq; animo honestatem præ omnibus alijs rebus expetivit, admiratus est & coluit, labores ac pericula pro defensione Ecclesiæ, Iustitiæ, Patriæ suscipere non gravabatur. Et quicquid homini in hac vita læti vel adversi accidere potuit, ita perferre ac contēnere solebat, ut nihil propterea turpe aut sapientis gravitate indignum quod fuit, admitteret: in adversis non fractus est, in secundis non nimis exultavit. Quia verò Scientia & Prudentia rei militaris plurimum valeret, de consilio, autoritate Invietsissimi nostri Imperatoris RVDOLPHI II, consentientibus omnium Septemvirorum & reliquorum Principum Germaniæ suffragijs, totius tractus Saxonici inferioris supremus Dux & Gubernator



nator belli creatus & designatus est. Quod munus cum magna ingenij & animi dexteritate, gravitatis prudentiæq; laude eum usq; ad extremum vitæ diem executum esse accepimus.

Clementia præcipuè clarus erat, cujus, sicut Medicinæ apud ægros usus, etiam apud sanos honor: ita Clementiam quamvis pœnâ digni invocent, innocentes etiam colunt. Hac ita usus est moderatè, ne, si omnibus ignosceret, injustus & lentus esset: sin nulli, durus & crudelis existimaretur. Optimè sibi hoc exemplum constituit, ad quod formaretur, ut se talem esse civibus, qualem sibi Deum esse voluerit, Iracundiam verò & vindictæ cupiditatem adeò moderabatur, ut sic cum inferiore sibi vivendum statueret, quemadmodum secum superiorem vivere optaret. Quoties ei in mentem venerit, quantum sibi in subditos liceret, toties venit etiam in mentem, tantum & multò plus in se licere Deo. Coli maluit quàm timeri, Regium enim omninò est & Principis animo dignum: Oblivisci virium suarum & imbecillitatis alienæ. Nunquam animo suo effluere passus est hanc opinionem: Id sibi Principi parùm esse, quod Deo satis est, Qui colitur & amatur, nec ulterius aliquid expetit. Nempe in seu zelum, ardentemq; indignationem & odium



odium adversus scelera & sceleratos opportunè adhibuit & exercuit, cum videlicet vel gloriam Dei, justitiam veritatemq; & pudicitiam violari videret, & hanc cotem justitiæ esse rectè judicavit. Quid dicam de castitate hujus Principis: Quid de amore conjugali? Hæc certè virtus sicut cæterarum omnium decus insigne & ornamentum est: ita & in hujus Principis virtutum choro & agmine instar lucidissimæ gemmæ fulsit & emicuit. In utroq; enim matrimonio casti pudoris decus seriò dilexit, & præcipua ejus cura & sollicitudo fuit ut conjugibus animum, conjugalem amorem & fidem benevolentiamq; omni conjugali officio debito suaviter declararet. Quoniam verò plurimis amicitijs fortuna Principum indigeat, præcipuum Principis opus fuit, ut vicinorum & optimorum sibi Principum & Regum amicitias pararet: Itaq; in ijsdem cum exteris contrahendis sæpius sibi in memoriam revocavit, hunc versum: Principis est virtus maxima nosse suos. Quo modo autem rectius & melius suos nosse, h. e. tutari legibus seu pacis armis illos sibi commendatos & suæ curæ commissos regere & regere poterat, quàm quod intelligeret sibi pro ijs vigilandum eorumq; tutelam Patriam sustinendam esse? quod sit legitimo finitimum

F

timorum



timorum Principum conjunctionis & amicitia  
vinculo & nexu indissolubili. Vnde & Serenif-  
simo & Potentissimo olim Regi Daniæ, FRIDE-  
RICO II. filiam suam unicam, SOPHIAM de-  
spondit: fecitq; ut qui nepotes & neptes ex ea-  
dem procreati ac geniti essent, optimis & Gene-  
rosissimis Regibus Principibusq; se vivo matri-  
monio jungerentur. Quamvis verò comem  
& affabilem sese petentibus præbuerit, tamen id  
arte ita Prudenter temperavit, ut secessus & se-  
junctionem interdū amaret, quia viles plarumq;  
qui nimium civiles. Movet namq; continuus a-  
spectus minus verendos magnos homines ipsa  
fatietate facere. Vt enim Solis lumen gratius fa-  
cit roriflua nox, æstatemq; amænissimam com-  
mendat hyems, ita Majestati major ex longin-  
quo & ex intervallo reverentia est. Ne dicam  
interim quantam sedulitatem, suam cuiq; fun-  
ctionem attribuendo, & diligenter, fideliter con-  
stanterq; propter Deum & communem salutem  
suos proprios labores & exercitia corporis, vale-  
rudinis causa faciendo, præstitit. Noverat o-  
mnia negotia assiduitate conficienda esse, ideo  
nullum ferè momentum præterlabi patiebatur,  
in quo non aliquid tam in serijs quàm ludicris  
etiam animi causa exerceret. Remissum tamen  
ali-



aliquando animum habuit, nunquam solutum. Silentio autem involvo industriã ac diligentiam ejus in rebus œconomicis. Parsimoniam in rebus proprijs custodiendis, utiliter collocandis, in vitandis sumptibus non necessarijs, in luxu, ædificationibus splendidis dilexit plurimùm : sed tamen ubi ratio postulavit expendit, quantum opus fuerit. Studiosè meminit illud Plautinum, non posse quæstum subsistere si sumptus eum superarent. Qua in re Pomponio Attico comparari potest, quem Cornelius Nepos commendat, quod bonus paterfamilias habitus fuerit, ob id, quod cum esset pecuniosus, nemo tamen illo fuerit minus emax, minus ædificator. Numerosam & inutilem familiam nunquam pavit. In quo Constantini Imperatoris sententiam prudentissimè consideravit, qui dicere solitus est : Nihil aliud esse multos & inutiles ministros, quàm Sorices & mures cellæ cibariæ, sanguisugas cellæ vinarie, fures ærarij, cuniculos palatij, tineas blattasq; parietum. Arrodunt enim & fœdât obvia quæq; & vestigia relinquunt ubi hæserint. In vestitu constantiam semper tenuit, nec luxum in monstroso aut odioso vestium splendore ac exquisita nimis mundicie, ut Ciceronis verbis utar, eum unquã usurpasse vidimus ferè omnes, Quod evidens



dens constantiæ & integritatis argumentum & indicium retinuit sedulo. Quoties vidimus hisce proximis annis vestium formas in omnium ordinum genere fuisse mutatas & renovatas? Quis optimum Principem hunc alio quàm pristino & usitato habitu indutum fuisse cõspexit unquam? Vestem habuit magis ad usum quàm pompam. Nec tamen sordidus esse voluit, sed mundus, decorus, honestus. Splendidus fuit, sed sine luxu, frugalis sed sine squalore. Prætereo reliquas naturæ dotes excellentes, & eximias animi virtutes innumerabiles, quæ in hoc Principe fulserunt egregiè. Et ut semel simul dicam, nunquam in tota vita sua publicè & privatim commisit quicquam, quod ipsius Celsitudinem devenustasse, ejusq; gravitate indignum censeretur potuisset: adeo natura habitudini corporis pulcherrimi, animi dotes præclaras aptè temperaverat, ut in hunc unum congestis & conclusis videretur, quicquid ad munus & decus boni & salutaris Principis requiritur, & quicquid eximium habuerit fortuna in toto suo penu. Cæterum ut reliquo vitæ tempore, de ærumnosæ & mortalis vitæ inconstantia & fugacitate & migratione hinc in æternam consuetudinem ad beatorum congregationem certissimè expectandam assiduè cogitabat: (quod



(quod etiam egregium ac splendidum illud mar-  
more incisum & artificiosè elaboratum, ac jam  
multos annos in Templi cathedralis choro Gu-  
strovij præparatum testatur) ita quoq; senescens  
jam pius & probus Princeps, & adventantis mor-  
tis prænuncios & *αεθρόμους* de die in diem frequen-  
ter excipiens, de migratione pia jam multos an-  
nos cotidie meditabatur, Christumq; authorem  
& datorem vitæ hujus & futuræ pijs suspirijs &  
precibus orabar, ut se doceret & gubernaret, ut,  
cum ex hujus vitæ ergastulo cum evocare & ad  
beatam cum Deo & cælesti Ecclesia consuetudi-  
nem, cujus desiderio ardentè tenebatur, transfer-  
re ipsi libuerit, ad obedientiam mente placida  
& læta præstandam paratus esset, ac *ἀθανάσιον ἐν δι-  
καιοσύνη* obire posset promptissimè.

Agens igitur annum 76. superiore mense  
Martio, in gravissimum morbum incidit, qui &  
ei finem vitæ attulit; Primo omnium optimo &  
præstantissimo Medico animarum & corporum  
DEO ter Opt. Max, sese tradidit atq; commisit,  
eiq; se in vera contritione & fide commendavit.  
Deinde morbo aggravascente, Medicos peritos  
& doctos, WILHELMUM LAVRENBURGIVM  
in Academia nostra facultatis Medicæ Doct. &  
Professorem Clarissimum: Et Clariss. & Doctiss.  
virum



virum CHRISTOPHORVM HENNIOCHVM,  
quorum fidem & diligentiam & in arte Medica  
excellentem cognitionem & usum jam multos  
annos, & ante biennium, cum Doberani pericu-  
losè decumberet, perspexerat, & alios accersi vo-  
luit, eademq; media & remedia, quæ à Deo ordi-  
nata fuerint & haberi potuerint, sedulo adhibuit.  
Interim, morbo vires Principis debilitante sibiq;  
assumēte, nihil magis habuit in votis, quàm quod  
imprimis Ecclesiarum & Politix curam & tran-  
quillitatem sibi cordi esse ostenderet. Itaq; cum  
ordinatio Ecclesiastica, ut vocatur, quæ ab Opti-  
mis, Clarissimis & Doctis, Episcopis hujus di-  
tionis, instinctu & jussu Principis proximo bien-  
nio revisa, resecta & locupletata præloq; subjecta,  
à typographo tandem ad finem deducta & abso-  
luta esset, magna cura & vigilantia, biduo ante  
mortem in omnibus parochijs per totam regio-  
nem uno & eodem die sub severissimo mandato  
eandem publicè proponi & promulgari curavit:  
ut statum Ecclesiasticum & Politicum uti tran-  
quillum & integrum acceperat, ita pacatum &  
perfectum post se relinqueret.

Laboraverat quidem non multis septimanis  
ex continuis defluxionibus, quæ tandem ingra-  
vescentes, assiduam decumbendi necessitatem  
Domino



Domino præbuerunt. Quo toto morbi tempore nullam indignationis aut impatientiæ adversus Deum frementis significationem ostendit, sed placido & tranquillo animo in vera agnitione & fide ad Christum accensa, Dei voluntati & clementiæ patienter sese commendans, piè semper vixit quem dederat cursum Deus atq; peregit. Scio, inquit, hasce occasiones & causas, quæ mihi hunc morbum attraxerunt, & hoc lecto fixum tenent, non casu mihi accidisse, sed certo consilio, permissione & voluntate Dei & redemptoris Iesu Christi, qui mihi hanc vitam ejusq; progressum tot jam annos prorogavit, me ægrotare. Et cum cotidie precatus sim, Fiat voluntas tua Domine, ita & me jam ejus divinæ voluntati & clementiæ sine ulla morositate aut tergiversatione libens subjiciam. Scio enim, quod Deum Patrem redemptoris Iesu Christi intercessione & merito placatum & propitium habeam. Deinde cum Davide & Augustino ardentibus votis semper precatus est: Da mihi Domine Deus, ut desiderem te, ut amem te, quantum volo & quantum debeo. Tu o Deus doce me quærere te, & ostende te quærenti, quia nec quærere te possum nisi doceas tu, nec invenire nisi ostendas te. Quæram te desiderando, desiderem te quærendo, inveniam



veniam te amando, amem inveniendo. O anima mea, suspira ardentem, desidera vehementer, ut possis pervenire in illam supremam Politiam & videre Deum amatorem tuum, à quo tantopere amata es, ut non solum sua, verum etiã seipsum pro te impenderit, cujus amore præventa es, qui est causa amoris tui. Amore & desiderio potes ascendere, amanti nihil est difficile, nihil impossibile. Quemadmodum desiderat cervus aquarum, ita desiderat anima mea ad te DEVS. Sitiuit anima mea ad te Deum fontem vivum, quando veniam & apparebo ante faciem tuam? Sitio Domine fons vitæ, satia me, ô quando veniam & apparebo ante faciem tuam, ut videam te à facie ad faciem, & satiatur desiderium meum. Te jam non video, vocem tuam audio & revivisco. Sed cur faciem abscondis. Fortè dicis, non videbit me homo & vivet? Eia Domine moriar, ut te videam, videam ut hic moriar. Mori desidero, ut videam Iesum Christum salutare meum vivere renuo, ut vivam cum Christo. Has & similes preces pijs & sanctissimis affectibus refertas, quibus hujus vitæ & ærumnarum in eadem multiplicium tædium, & futuræ & cœlestis vitæ desiderium & amorem sibi & animis audientium excitabat sæpè repetebat, ut  
flamas



flammas veræ pietatis & amoris vitæ æternæ in  
corde accenderet. Vt autem Principis Patrisq;  
Patriæ boni est non solùm quid agatur, quidq;  
actum sit videre ac dijudicare, sed etiam quæ fu-  
tura sunt benè procurare: ita etiam b. m. Princeps  
& fidelis Pater Patriæ cum senserit migrationis  
horam inevitabilem cunctisq; mortalibus expe-  
ctandam jam non procul abesse, Illustriss. & Opti-  
mas Heroinas & Dominas, SOPHIAM filiam Sere-  
nissimi Regis Daniæ FRIDERICI II. relictam  
viduam ( quæ jam toto Hiemis tempore Princi-  
pi Patri seni adfuisset, eumq; in grandæva ætate  
suâ præsentia, colloquio alijsq; obsequijs sæpè re-  
creasset consolataq; fuisset ) & ANNAM conju-  
gem suavissimam, maximis virtutibus matrimo-  
nialibus ornatissimam, Principis decumbentis  
mariti lectulo summo cum dolore astantem : Il-  
lustrissimum nostrum Principem CAROLVM  
fratrem, Dominum nostrum Clementissimum,  
Omnes mirum in modum attonitos, ac de vita  
Illustriss. Principis unicè sollicitos, singulos com-  
prehensa manu compellavit & ne suam ex hac  
tristi miseriarum valle migrationem alio quàm  
deceret animo ferrent, plurimùm obsecravit: se  
jam ex hac in cœlestem & perpetuam aulam mi-  
graturum, sibi illud regnum, hanc vitam æternam

G

à patre



à patre propter filium pro se mortuum & resuscitatum per Spiritus sancti ministerium certò donatum iri certissimè credere. Deinde conversus ad Consiliarios, quos ad se accersi jussit, atq; per totum ferè ægrotationis tempus sibi adesse voluit, eosq; ut Principi unico fratri superstiti CAROLO, cujus humeris jam gubernatio, tutela & cura hujus regionis incumberet, demandataq; esset, in omnibus licitis & honestis, inprimis verò ijs, quæ Christianam Religionem statum publicum & pacem concernerent, fidem obedientiãq; præstarent, seriò hortatus est: quod & singulos sanctè pollicitos fuisse audivimus. Tandem post multos, cum ministro Ecclesiæ & circumstantibus Principibus feminis & Consiliarijs de hujus vitæ miseria, & futuræ desiderio, sermones habitos, hæc postrema cum Christo verba, Domine in manus tuas commendo Spiritum meum, pronunciavit, atq; in vera agnitione & fide in filium Dei sine ullo acerbiore sensu rationeq; sensibusq; ad extremum vitæ halitum integris, cum jam 76. annos exceptis 5. septimanis & 6. diebus complevisset, in regia sua Gustavoviensi 14. Martij inter 3. & 4. matutinam placidè obdormivit. Quis ad hujus optimi Principis & Patris Patriæ discessum non ingemisceret?



ret: Quis eum omnibus modis desiderandum lachrymis non requireret, Nobilitas Caput & Dominum, Musæ Mæcenatem; Populi Parentem; Leges custodem, Virtus vindicem, Omnes Patrem, Singuli Patronum amissimus. Imposterum enim experiemur, quàm benè & feliciter imperium hujus ditionis, suis humeris impositum sustinuerit. Magna hujus vis animi & benignitas fortunæ fuit, utraq; enim adfuit: illa ut auderet dedit, hæc verò ut posset. Sin id jure dolendum non est, nihil habeo, quod afferam, quod dolore dignum sit. Hoc enim ratio doctis necessitas barbaris, mos gentibus & feris natura ipsa præscripsit, ut omnes casus istos ex quibus detrimenti quid ad se suosq; redundare videretur maximo cum dolore & ægro animo mæstiferrent, quippe cum omnis magistratus, omne caput hoc fato natum sit, ut ne se quidem incolume servare possit, quin una Rempub. suaq; membra servaret: sic quoq; ne caput damni quid sentire potest, quin id in inferiora quoq; membra deriveretur. Ersi enim nihil ad defunctorum salutem pertinet, nec quicquam eis inde accedere aut decedere possit, quacunq; ratione, quibus lachrymis ac fletibus eos anxie desideramus ac plangimus; tamen pium ac honestum officium



est, nos amorem & pietatem in luctu erga eos  
præstare, qui nobis in hac vita cari fuerunt, & eo-  
rum inprimis, qui de Ecclesia, Repub. & nobis  
privatim benè meriti sunt, discessu affici & desi-  
derio teneri, quod tam sacræ litteræ & naturæ le-  
ges testantur, nam Abrahamus Saræ conjugis  
discessum luget, & sepelit lachrymis perfusa fide-  
libus ossa. Nemo etiam hoc facinus improbum  
judicare potest, quin se, qui hoc improbet, huma-  
nam rationem, & affectus naturales exuisse simul  
judicet. Meritò igitur lugemus tristissimum &  
nobis acerbissimum casum, ut memoriam virtu-  
tum ac meritorum hujus piè defuncti beneq; de  
omnibus, totaq; nostra patria meriti Principis re-  
ctè conservemus, tum gratitudinis tum imita-  
tionis causa, ut fidei ac virtutum exempla alij &  
nos singuli inde sumamus & vitâ ac moribus pro  
sua quisq; mediocritate exprimere studeamus.  
Inprimis verò cum Illustriss. & optimam Heroi-  
nam SOPHIAM filiam viduam, non una sed plu-  
ribus cladibus hoc ipso tristissimo tempore esse  
afflictam & perturbatam sciamus, quod Illustriss.  
& optimum Principem Iuvenem, ingenio & vi-  
ribus florentem, IOHANNEM Ducem Holsatiæ,  
electum Principem in Muscovitarum Regno, &  
unâ optimam & præstantissimam Principem  
amitam.



amitam, GOTHARDI Principis Curlandiæ olim,  
relictam viduã, disitissimis in locis uno ferè men-  
se Octobri non sine multorum suorum suspirijs  
& lachrymis immaturâ morte præter omnem  
spem & opinionem ambos extinctos esse cogno-  
rit. Hanc calamitatem & luctum Illustrissimo  
Principi Fratri CAROLO Duci nostro Clemen-  
tissimo, nec non optimæ Heroinæ ac Dominæ  
ANNAE, Principis VLRICI, b. m. viduæ relictæ,  
cæterisq; Principibus viris Consanguineis & no-  
bis communem esse non dubitamus. Non ut im-  
patienter feramus eundem subductum, ut Cy-  
prianus loquitur, quem credimus reversurum, sed  
quod profectus sit, quem putamus mortuum,  
non lugemus, sed planè desideramus, idq; de-  
siderium patientiâ temperemus. Cur enim im-  
moderatè feramus obiisse quem mox subsecutu-  
ri sumus? Non dolemus eum accersione Domi-  
nica ex hoc seculo esse liberatum, cum sciamus,  
nos eum non amisisse sed præmisisse; recedentem  
præcessisse ut proficiscentem & navigantem de-  
siderare eum possumus, plangere non debemus,  
scimus enim fidelibus non solum non inutilem  
esse mortem, sed valdè utilem reperiri, quoniam  
peccandi periculis hominem subtrahit, & in non  
peccandi securitatem constituit. O rem miran-  
dam



1  
tam potius quam rimandam! Quæ illi est felicitas, hoc nobis est infortunium. Optimum Principem DEVS Cælo invexit, nobis invidit, ademit, Cancellarium Academiæ nostræ in cœlestem Academiam revocavit & transtulit, quia hæc terrestris virtutum illius parum erat capax aut digna. Nostrâ quidem causâ dolemus, hæc ditiones, hæc urbes, hæc oppida, hæc Ecclesias & Scholas communi parente & nutritio tot eximijs Dei donis ornato, privatas esse, illius v. de beata & placida ex hac in æternam vitam migratione & Dei æterni ac ineffabilis boni fruitione, quem Illustrissimus Princeps nunc coram à facie ad faciem intuetur, & sine fine cum sempiterno gaudio & lætitia videbit, sine fastidio amat, & sine ulla intermissione ac fatigatione laudat perpetuò, merito ei gratulamur, quod ex multis ingentibus periculis animæ & corporis eum præripuerit, & in portum quietis & securitatis beatæ transtulerit, in quo à tristissimo caliginis dubitationum & angorum humanorum onere levatus & omni peccato liberatus, cum Deo, Angelis & omnibus Sanctis vitâ fruitur æterna, Decet ergò nos naturali <sup>sempiterno</sup> amore, benevolentia, obedientia, charitatisq; officijs mutuis, quibus illis & toti Patriæ obligati & devincti sumus, ut, <sup>etiam</sup> ~~omni die~~ Illustrissimos  
Principes



Principes & Heroinas declaremus, & quantum  
in nobis est eorum luctus acerbitatem sublevare,  
lenire & mitigare studeamus, & gratias potiùs  
Deo agamus, quod longo ordine multis jam secu-  
lis pios, bonos & salutare Principes, Heroas He-  
roinasq; hisce terris tribuerit, & ut in posterum  
etiam ejusmodi Principes ac Dominos: Inpri-  
mis verò Illustrissimum CAROLVM Dominum  
nostrum Clementissimum, & ADOLPHVM  
FRIDERICVM, IOHANNEM ALBERTVM  
fratres, Duces Megapolenses, & qui nascentur  
ex ipsis, pietate, justitiâ, modestiâ, alijsq; virtuti-  
bus excellentibus ornatos diutissimè incolumes  
& felices in vitâ conservet nobis, posteris & ad-  
eò toti Patriæ nostræ robore, valetudine firmâ,  
fortunâ & famâ virtuteq; parentibus similes lar-  
giatur ac donet ardentibus eum vocibus & votis  
prececur.

*Te igitur, ô aterne & misericors Deus, Pater  
Domini nostri Jesu Christi, authorem & custodem  
boni ordinis Politici & salutarium Gubernatorum,  
ut deinceps quoq; huic regioni, Patriæ nostræ dulcis-  
sima adesse, & puræ religionis, virtutis ac doctrinæ  
studia pacemq; publicam in his gentibus tueri, &  
Illustrissimum Principem & Dominum, Dn.,  
CARO-*



CAROLVM, ejusqꝫ patruales, ADOLPHVM  
FRIDERICVM & JOHANNEM AL-  
BERTVM fratres ac Duces Megapolitanos &  
Dominos nostros Clementissimos: Ceterasqꝫ Heroi-  
nas & Principes viduas & Dominas, Spiritu tuo  
sancto regere & incolumes florentesqꝫ perpetuò ser-  
uare superstitem horum ducum prosapiam feliciter  
ad posteros transferre & nos singulos docere  
& gubernare velis, toto pectore  
precor.


D I X I.






















Principes & Heroinas decla  
in nobis est eorum luctus ac  
lenire & mitigare studeam  
Deo agamus, quod longo or  
lis pios, bonos & salutare  
roinasq; hisce terris tribueri  
etiam ejusmodi Principes  
mis verò Illustrissimum CA  
nostrum Clementissimum  
FRIDERICVM, IOHAN  
fratres, Duces Megapolen  
ex ipsis, pietate, justitiâ, mo  
bus excellentibus ornatos d  
& felices in vitâ conservet  
eò toti Patriæ nostræ robor  
fortunâ & famâ virtutèq; p  
giatur ac donet ardentibus e  
preceur.

*Te igitur, ô aterne & m  
Domini nostri Jesu Christi, a  
boni ordinis Politici & saluta  
ut deinceps quoq; huic regioni  
sima adeste, & pura religioni  
studia pacemq; publicam in  
Illustrissimum Principem &*

the scale towards document



quantum  
sublevare,  
tias potius  
s jam secu-  
eros He-  
posterum  
s : Inpri-  
Dominum  
OLPHVM  
BERTVM  
nascentur  
q; virtuti-  
ncolumes  
teris & ad-  
ne firmâ,  
imiles lar-  
as & votis

eus, Pater  
& custodem  
rnatorum,  
stra dulcis-  
ac doctrina  
s tueri, &  
m, Dn.,  
CARO-